

S T A T V T O R V M  
C V R I A E S V P E R I O R I S  
V A L L I S S I C C I D A E.



N N O M I N E D O M I N I A M E N . Hæc sunt Statuta, & ordinamenta Vallis Siccidæ, facta, & ordinata tempore, & sub felici regimine Dominationis Illustris Principis ac Mag. & Excell. D.D. Galeaz Vicecomitis Domini Mediolani &c. Comitis Virtutum, Imperialis Vicarij Generalis. Legitur in Cannone, factæ sunt leges, ut metu earum humana coercentur audacia, tutaque sic inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato suplitio audacia refrænetur, & nocendi facultas; Quoniam effrænata cupiditas sui prodiga, mater litium, materia litigantium, tot quotidie noua litigia generat, ut nisi iustitia conatus eius sua virtute reprimeret, & quæstiones implicitas explicaret, ius humani generis litigatorum abusus extingueret, & concordiā extra mundi terminos exularet. Ideoq; lex proditur, ut appetitus noxius sub iuris regula limitetur, per quam humanum genus honestè viuat, alterum non lædat, & ius suum vnicuique tribuat. Quibus quidem deliberata consideratione animaduersis, infra scripta statuta sunt ordinata ad honorem, & gloriam Altissimi Redemptoris, & glorio- sissimæ Virginis Mariz, & ad laudem Beatorum Gaudentij, & Georgij, qui sunt patroni Communitatis Vallis Siccidæ, & in ecclesiasticis prefactæ Illust. & Mag. D. D.

*De Summa Trinitate, & fide Catholica. Cap. I.*

S Tatuerunt, & ordinauerunt ut infra: quod omnes & singulos homines, & personas in Valle Siccida habitantes, & degentes in tali voluerunt & volunt fide, & religione versari, quam Sancta Romana Ecclesia declarat, & seruat: hoc est, ut secundum Apostolicam disciplinam, Euangelicamq; doctrinam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vnam deitatem sub pari Maiestate, & sub pia Trinitate credamus; hanc fidem, & religionem sequentes, & seruantes, & qui nostris Statutis obediunt, nostrorum Statutorum gaudeant beneficio, ac priuilegijs, & immunitatibus dictæ Communitatis: reliqui vero ab omnibus, benefitijs, priuilegijs, & imunitatibus habeantur exortes.

*De Hæreticis. Cap. II.*

I T E M Statutum, & ordinatum est; quod omnes Hæretici, Gazari, & Sismati ci incontinenti recedant extra territorium Vallis Siccidæ, & si huius criminis rei peruererint in fortiam Rectoris, quod puniatur & condemnatur

A tur